

bus tacitè analogum insinuasse; ille sublannando sic illudit: *Num pro sua intelligentiâ, ipsius (scil. Capricorni) frigora fugiens, ad huius (scil. Cancrî) focum pergere uoluerit.* Sed valeant ista scommata, quæ nil nisi authoris vanitatem & leuitatem arguunt. Postea Mathematica mea ratiocinia conuellerè præsumens, enumerat quidem, quâ ratione Cometæ Parallaxin peruestigârîm, ut se nostra utrunq; intelligere, ostendet: Sed hæc ibi nullis contrarijs rationibus infirmat, nisi quod plumbeam normam pro suâ auctoritate affectatâ vocet, & differentiam longitudinis inter Casellas & hunc locum in aliquot scrupulis dubiam esse, frustraneo scrupulo obicijat, Landtgravianasq; Observationes, non omnes, sed selectas quasdam à me usurpatas reiiciat, verioresq; suo arbitratu fuisse alteras dicat, quas negleximus: hisq; similia parû probantia, nec per se omnimodè vera, nihilq; ad rem facientia agglomeret. Si ex ullis Landtgravianis Observationibus, quas ego libro secundo prout mihi communicatæ erant, ingenuè annotavi, probare potuisset, Cometam illum sublunarem fuisse, nullum est dubium, quin id ipsum, quantum in se erat, fecisset. Sed quia nulla talis obvia erat, pro libidine, certa & rata dubijs involuit, atq; offuscare nititur. Ego Landtgravianas observationes, non pro arbitrio, ut certiores negligerem, selegi; sed eas, quæ in tempore plurimum distarent, usurpare malui, quò Parallaxium differentia, quæ sic augentur, eò promptiùs inde elucescere possent. Quin & in te quoq; Doctis: ROTHMANNE, licenter invehitur, quod Cometam Anni 1585. in superiori Cælo constitutam asserueris. Ut verò scias, qui id faciat, en eius verba: Sed uenio ad artificium uestrum. Nam non solum tu, sed ille quoq; tantoperè à te ob scientiam demonstrandi, & peritiam obseruandi commendatus **CHRISTOPHORVS ROTHMANNVS**, Mathematicus Landtgrauianus, eâdem Methodo utitur, te referente, dum Cometâ octuagesimi quinti Anni supra Saturnum, in spatium sub fixis proximum insequitur; mirâ certè sagacitate. Et illi quoq; ignarus Mathematicum habebitur, qui dubitat quin demonstraueris, tuum Cometam in Æthere cursum suum absoluisse. Hanc censuram tanti facis, ut immaturis contradicentium sententijs opponat. Tua Clariss: D. TYCHO, si quis alius commendaturus sum ob amicitiam, & nunc uellem: Sed Amico adulari contra ueritatem non soleo. Optarem mihi Obseruata, si non demonstrata illius Artificis communicari, quibus hoc Paradoxon asseruit, & an peritia, scientiaue sua eò pertingat, ipse esses iudex. Si pro Vrania tuæ defensione ueritatem uis manifestari, Observationes communica. &c. Ad hæc tute pro te ipso responde, cum meâ ope non indigeas; nec difficile id sit, cum stet à nostris partibus veritas, sexcentis eiusmodi illusionibus non commouenda. Ego tua Observata, hisq; innixas Demonstrationes illi communicare, nec volui, nec volo: siquidem ijs non uti, sed abuti, pervertendo, distrahendo, & cavillando (uti in meis facit) solummodo satagat. Et quorsum opus foret illi talia impertiri, cum de ijs etiam non uisis, nedum intellectis, uti bonos (sc.) deget iudices, censuram ferre præsumat? O insipidam arrogantiam! Ut verò postmodum